
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proteria quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO VI.

DE

DEI IMMUTABILITATE

Pneumatica & Scholastica,

Disputatorij exercitij loco

in

Gymnasio Gedanensi

proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis locum tenente

CAROLO RAMSÆO,

Elbingensi Borusso.

Ad diem 28. Novembr. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1635.

VIRO

Magnifico, Nobilissimo atq; Amplissimo,

DOMINO

Dn. ISRAELI HOPPIO, Burgrabio Regio Eminentissimo

Juxtim ac

Nobilissimo Consultissimo Viro

Dn. MICHAELI Fuchs

Pro-consuli.

Deniq;

Viris Amplissimis ac Spectatissimis

Dn. SIGISMUNDO Meyenreiß Dn MICHAELI SIVERTO Dn. MARTINO Richter	Senatoribus Inclytæ Reipub. Elbingens. gravissimis.

Dnnnnn. Patronis ac Fautoribus suis singulari animi devotione suspiciendis submissè & reverenter sacrum esse vult præsens exercitium.

CAROLUS RAMSÆUS Respondens.

I.

NOn eò nos in numero viventium positos esse putemus, ut cibos & potus percolemus: ut hoc corpus casurum ac fluidum, periturumq́, nisi subinde impleatur, farciamus: ægriq́ ministri & mortem timentes degamus, cui omnes destinamur: Sed ut animo supra humano erecto cum affectibus colluctemur, portenta vincamus, & dissimiles deterioribus quotidie evadamus. Præterea, ut in interiorem naturæ sinum reductam mentem, inter sydera vagaturam, divitum ridere pavimenta faciamus: totamq́ cum auro suo terram, & illo quod egessit, & quod in occulto posterorum servat avaritiæ, perscrutari stimulemus. Sed & misso exiguo terreni claustri spatio, quod puncto est simile, in ingentium spatiorum, quæ sursum sunt, possessionem animus est admittendus: Quippe qui hoc argumentum divinitatis suæ habet, quòd illum divina oblectent: nec illis ut alienis, sed ut suis interesse desideret. Illic demum discit, quod diu quæsivit: Illic incipit Deum nosse, quid sit, qualis sit, & quâ ratione se habeat. Hoc nos, posteaquam Physica & Metaphysica viridaria ex parte perlustravimus, jam ex Pneumaticis occupare præsente disceptatione conabimur: visuri, quî attributum illud eminens, quod Deo nostro tribuimus, immutabilitas, in ejus essentiâ se habeat, & à contradicentium tùm exceptionibus, tùm oppugnationibus vindicaturi.

2. Immutabilitas dupliciter sumitur 1. Privativè, pro eo, quod non mutatur, etsi mutari aptum sit. Sic Deus non est immutabilis, sed quodvis creatum: 2. negativè, quod nullâ

prorsus ratione mutari potest. Sic est. Potestq; sic definiri immutabilitas attributum Dei absolutum, quo in seipso semper idem permanens verè & ex sese à nullo immutari potest. *Dicitur* 1. verè, *ut excludatur immutatio apparens, ut cùm Deus ab irâ precibus flectitur ad misericordiam, sceleribus à gratiâ ad iram & furorùm, est mutatio apparens, non vera ex parte Dei. Sic cùm volebat exscindere Israëlitas, sed precibus Mosis flexus miserebatur corũ.* Exod. 32. v. 14. 2. ex sese, *ut excludantur ea, quæ per gratiam creationis a. recreationis sunt immutabilia. Sic angeli sunt immutabiles in essentiâ, sed per gratiam creationis: homines resuscitati à mortuis erunt immutabiles & incorruptibiles, quippe conformes glorioso corpori Christi,* Phil. 3. v. 21. *Sed per gratiam resuscitationis.* Solus Deus *per sui ipsius naturam & essentiam est immutabilis, non ex dono gratiæ alienæ. Hanc immutabilitatem Deo inesse, assumendum potiùs Christiano esset, quàm operosè probandum. Faciunt tamen dissentientium cavillationes, de quibus* th. 11. 12. *ut uberiori circa eam probatione defungi necessum sit.*

3. *Probatur ergò ista immutabilitas, i. e. & essentiæ, & attributorum, & actionum DEI simplex & invariabilis firmitas, cùm* scripturâ, *tùm* naturâ, *tùm Veterum & Christianorum & gentilium saniorum* authoritate. *Scripturæ dicta sunt vel* Veteris *vel* N. Testa. *Et utraq; vel de immutabilitate essentiæ, vel attributorum & actionum agunt. Proferemus singula distinctè & pro proprio scopo.*

4. *Ex* Veteri Testam. *pro immutabilitate essentiæ Dei faciunt hæc dicta.* Exod. 3. v. 14. Psal. 102. v. 29. Malach. 3. v. 6. Ex N. T. Rom: 1. v. 23. 1. Tim: 1. v. 17. Jac. 1. v. 17. *Ex quibus locis sic concluditur: Cujus essentia ita se habet, ut sit quæ sit simpliciter & absolutè, ut eadem permaneat, & in eo opponatur creaturis, quod veterascere, ut illæ, non possit, ut non*

non mutetur, ut sola sit ἄφθαρτος, incorruptibilis, ut 1. Tim. 1. dicitur, in quâ non sit παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, transmutatio aut vicissitudinis obumbratio, ut emphaticè loquitur Jacobus c. 1. *ejus essentia simpliciter est immutabilis. Dei essentia est talis per dicta allegata. Ergò. &c. Nec multum obest,* Exod: 3. *haberi futurum, Ero, qui ero, non præsens; ut respiciatur magis immutabilitas promissionum, quàm essentiæ, ut ex Brentij notis ad h. l. reponit* Smalcius c. Ravensp. p 17. & c. D. Franzium d. 1. p. 2. *Nam omne futurum fundatur in suo præsenti, præterita enim & futura verificantur propter præsentia, ut rectè Logici ajunt,* V. Arist. d. interp. c. 3. *Et si promissa Dei sunt immutabilia, utiq; & veritas talis: & quæ omnium horum velut fundamentum,* essentia. *Promissa arguunt bonitatem: bonitas veritatem, veritas unitatem, unitas essentiam & quidditatem.*

5. *Pro immutabilitate* attributorum, *ut intellectus, voluntatis & similium hæc faciunt dicta.* Psal. 115. v. 3. Psal. 135. v. 6. Esai. 46. v. 10. Rom. 9. v. 19. *Vnde sic infertur: Cujus voluntas, quidquid vult, efficit, tota fit, & nihil ei resistere potest, ejus voluntas à nullo mutari potest. Dei voluntas est talis per dicta. Ergò &c. Rursus: Cujus voluntas est immutabilis, ejus & intellectus talis. Non enim voluntas mutatur, nisi intellectus objectum mutandum esse exante ostendat & suadeat. At Dei voluntas talis. E. & intellectus. Idem de cæteris attributis habendum, quæ reipsâ idem cum voluntate & intellectu, ut potentiâ, bonitate, &c. ut ostensum* d. 4. t. 9. 10.

6. *Actiones, decreta, consilia Dei esse immutabilia his dictis probatur.* Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 29. Job. 33. v. 14. Psal. 33. v. 11. 89. v. 34. 35. Psal. 111. v. 7. Prov. 19. v. 21. Esai. 14. v. 24. 27. c. 46. v. 10. Tobi. 3. v. 21. Rom. 11. v. 29. *Hinc sic concluditur: Cujus actus sunt tales, ut eorum nunquam*

quam subeat pœnitentia, in æternum persistant: ut nunquam mentiatur, aut vanus fiat, non irritafaciat edicta sua, fidelia & confirmata in seculum, in veritate facta edat, à nullo inhiberi possint, non disceptet de semel sancitis, donorum nunquam pœniteat, illius actus sunt immutabiles. Dei actus sunt tales, per dicta. Ergò. Excipit Vorstius *ad hæc* not. ad disp. 3. p. 195. & not. ad d. 6. t. 34. 35. p. 365. *Hypotheticam immutabilitatem hinc oriri, quâ, quod semel placuerit Deo decernere, nunquam postea mutetur, quo modo & ordine fuit à Deo decretum: non absolutam & simplicem, sic enim actio Dei libera i.e. à liberâ causâ pendens cum ipso Deo confunderetur, & essentia & volitio Dei unum & idem esse affirmaretur. R. Omne hypotheticum, si verum est, fundatur in suo absoluto. Et hinc, si decreta Dei sunt immutabilia hypotheticè, oportet aliquid absolutè esse immutabile, in quo ista fundentur. Hoc est essentia & voluntas divina. Ita ergò Scriptura & consilia Dei immutabilia dicit, ut locis citatis: & rationem istius immutabilitatis adjungit, quia nempè* absolutè Deus sit, qui non mutetur, *& apud quem non sit vicissitudo aut obumbratio.* V. t. 4. *Et sic ut absolutè Deus est, sic & absolutè immutabilis, & in essentiâ & proprietatibus, quod largitur Vorstius,* Vid. t. 10. *& in actionibus. Valet enim hic illud vulgatum:* Modus operandi sequitur modum essendi. *Ubi essentia infinita, immensa, immutabilis, ibi & operatio talis, s. sit interna, s. externa. Quî hoc cum summâ Dei libertate consistat, dicetur* th. 23. 24.

7. *Ita fuerunt* dicta scripturæ: *succedunt* rationes *immutabilitatem Dei confirmantes.* I. A purâ DEI actualitate. *Omnis actus purus, nihil includens potentiæ passivæ, est simpliciter immutabilis. Nam mutationis radix est potentia passiva. Ideò enim quid mutatur, quia est in potentiâ passivâ ad aliquid acquirendum. Et ideò omnes creaturæ sunt mutabi-*

tabi-

tabiles, quia esse suum non per se, sed per potentiam receptivam ab alio habent. At Deus est actus purus. Nam quidquid à seipso & simpliciter independens est, est actus purus. At Deus talis: Nam nec ab ullo esse suum accepit, nec ab ullo in conservari aut operari dependet, est enim ens primum. Ergò. Excipit Vorstius not. ad disp. 3. p. 196. *negando, Deum ab omni omninò potentiâ liberum esse. Nam ad ea omnia, quæ liberæ ejus voluntati subjacent, tàm diu esse in potentiâ, quàm diu ipsa volita s. potiùs volibilia non velit actu.* In Sch. alexic. Lubb. §. 1. p. 13. *addit, fuisse in potentiâ ad hominem, mundum, &c. faciendum. Nec enim ab æterno fecisse. Actum purum ad nullam rem esse in potentiâ, valere de actu naturali, non voluntario, & operandi ad extra.* R. Esse in potentiâ *ad aliquid ambiguè dicitur.* 1. imperfectè *& deficienter, ut notet viam à defectu ad perfectionem, à potentiâ merè passivâ ad actum, quo careas & cujus accessu perficiaris, adeoquè egeas aliquâ perfectione, nec ullo modo eam habeas: ut primò sis velut otiosus aut torpidus: pòst incipias actu velle aliquid: demum agas. Sic homo primò torpet, & caret ambulatione ut perfectione aliquâ: post vult ambulationem, ultimò ipso actu ambulat: Talis potentia Deo non potest competere, est enim Entis torpidi, & velut veterno occupati, quod de Deo cogitare impium: Nec caret Deus illâ perfectione rei alicujus, cujus accessu* in se *perficiatur, sed* omnem perfectionem virtualiter eminenter *in se continet. Vnde accedente creatione, prædestinatione, nihil novæ perfectionis ipsi infertur, quia illæ actiones in creaturis terminantur, non creatore.* V. th. 15. 2. perfectè & eminenter, *ut notetur ordo rationis, quo unum distinctè concipitur succedere alteri. Ita Deus in potentiâ ad liberum actum dici potest, non ac si primò sit otiosus, post incipiat velle: sed quà in perfectissimo actu à nobis unum concipitur liberè succedere alteri, cùm in re, &*

iden-

denticè omnia sint unum cum simplicissimâ essentiâ Dei, quæ summè est necessaria. Conf. Becan. p. 1. Th. Sch. c. 10. q. 2. c. 11. q. 10. Valent. T. 1. d. 2. q. 1. p. 1. §. 28. *Sic Deus in potentiâ ad actum liberum dicitur, non passivè, sed activè: & in re potentia simul cum actu est, etsi à nobis unum distinctè post aliud concipiatur. Sic velle prædestinare homines, est actus liberrimus in Deo. Et tamen ante jacta mundi fundamenta dicimur electi,* Eph. 1. v. 4. *E. & voluit eligere ab æterno. Sic præordinavit sapientiam spiritualem ante mundum* 1. Cor. 2. v. 7. *Gratia data ante mundum,* 2. Tim. 1. v. 9. *Christus prævisus ante fundamenta mundi.* 1. Pet. 1. v. 20. *Concedente* Vorstio in Sch. alex. Lubberti p. 66. §. 22. *quanquam non satis rectè explicante. Ita Deus quæcunque voluit, ab æterno voluit, non transeundo ab potentiâ torpidâ in actum, sed simplici actus ad sua objecta particularia determinatione. Sic Deus potest dici in potentiâ ad destruendum mundum, creandum novum cælum & novam terram, non ex merâ pot. passivâ transeundo ad actum, ut in nobis fit, quod mutationem infert: sed* æternæ potentiæ activæ, *quæ in Deo est;* ad hoc vel istud objectum liberâ determinatione. *Quæ determinatio in objecto facto mutationem infert: in actu agente, primò indifferentem libertatem, pòst specialem applicationem citra mutationem realem, prout* ex th. 15. *pluribus patebit.*

8. 2. A summâ primitate & perfectione DEI. *Ens simpliciter primum & perfectissimum, simpliciter est immutabile. Nam quod absolutè primum, nulli subjacet. At quod nulli subjacet, à nullo inferiori mutari potest. Et quod est ita primum, ut simul sit perfectissimum Ens, neq; seipsum mutare potest. Mutaret enim se* vel *in deterius, & sic non maneret perfectissimum:* vel *melius, & sic non esset perfectissimum; Quorumq; utrumq; à Deo est alienum:* vel *in simile: at nihil*

hil in idem mutatur, vel simile, nisi mutandum deterius sit eo, in quod mutatur, Quod de Deo cogitari non potest. Mutatio enim infert imperfectionem ab eo, quod non inest, ad acquirendũ id, quod inesse debet. Ergò Deus nec à se, nec ab alio mutari potest, & sic absolutè est immutabilis. 3. Ab omniũ modorum mutationis remotione. *Si Deus est mutabilis,* aut *mutabitur quà existentiam, ut modò sit, modò non sit: & hoc non, quia est ipsum primum existens,* Exod. 3. v. 14. *quod non potest non esse: in seculum seculi ab æterno persistens.* Psal. 90. v. 2. *cujus anni numerari nequeunt*, Job. 36. v. 26. Aut *quà accidentia, quantitatem vel qualitates: At est simplicissimum quid, compositionis ex subjecto & accidente non capax.* V. d. 4. t. 9. 10. Aut *quà locum, ut ex uno loco mutetur in alium. At est infinitus & immensus, omnibus locis præsens.* Psal. 139. v. 7. 8. Jer. 23. v. 24. Aut *quà cognitionem,* vel *ut nunc putet verum, quòd ante falsum crediderat: At hoc ex ignorantiâ & non satis exactâ rerum notitiâ provenit, quæ in Deo locum habere nequit, omnia enim aperta sunt oculis ejus, & est omniscius.* Hebr. 4. v. 19. 2. Chron: 16. v. 9. Syrac. 23. v. 28. c. 42. v. 19. 20. vel *ut novam rei cognitionem sibi adsciscat, quam antea ignoraverit: At omnia novit.* Job. 28. v. 24. c. 38. v. 36. 37. 1. Joh. 3. v. 20. Aut *quà decreta & placita voluntatis, ut nunc decernat aliquid facere, quod ante decreverat non facere. Tot enim modis res aliqua mutari potest. At nec hoc Deo competit: evenit enim ex inconsulto actu & temeritate, ut prius decreta mutare cogamur. At Deus consultissimè omnia agit. Unde magnus consilio*, Jerem. 32. v. 19. *nullius consilio indigere,* Syr. 42. v. 22. *nec rescindere decreta,* Num. 23. v. 19. *secundò de factis non consultare dicitur.* Job. 33. v. 14. *Et si Deus mutat priora decreta,* aut *præcognovit se mutaturum ea,* aut *non.* Si *præcognovit, E. inconstans & imprudens erit, quod prius*

sancitum mutet, & aliud convenientius substituat. Sic magna incogitantia & imperfectio intellectui divino inferetur, quæ ab illo longè removenda. Si *non præcognovit, E. scientia Dei non erit omnium, sed quorundam tantùm, contrà* Syrac. 23. v. 29. c. 42. v. 19. 20. *E. Deus planè & in decretis est immutabilis, & consequenter omni ex parte est immutabilis. Conf.* Durelleum c. l. p. 205. 206.

9. *Fuerunt* rationes *pro immut: DEI: Sequuntur* Testimonia. *Hæc* vel *Judæorum.* vel *Christianorum,* vel *saniorum gentilium. Ex* Judæis Philo *Judæus librum conscripsit, cui titulus,* ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, *ubi multis sententiam eorum, qui mutationem Deo inferunt, confutat.* Rambam, *s. Rabbi Maimonides in libro, cui titulus, doctor perplexorum, multis probat, nullum mutationis modum in Deo locum habere. Ex Christianis omnes* Patres *Veteris Ecclesiæ immutabilitatem DEI probârunt. Justinus, Theophilactus, Hilarius, Arnobius, Ambrosius, Athanasius, Isiodorus Pelusiota, Euthymius, Fulgentius, Origenes, P. Damjanus, Augustinus plurimis in locis, ut* d. nat. bon: c. 24. l. 1. d. Trin. c. 1. proœm. l. 4. d. Trin. l. 5. d. tri. c. 2. l. 22. d. C. D. c. 1. l. 9. c. 22. T: 3. d. gen: ad lit. l. 8. c. 20. 21. 22. 26. T. 6. con. Maximin. l. 3. c. 12. Hierony. T. 6. in Amos c. 9. T. 9. in ep. ad Gal: c. 1. *Verba eorum brevitatis gratiâ partim* ap. D. Gerhard. c. l. *partim apud* Zanchium T. 2. Op. l. 2. d. Na. Dei. c. 4. q. 1. *partim apud* Durelleum c. l. p. 206. seq. *videri possunt. Conferatur & tractatus* Theodoreti, *quem inscripsit,* ἄτρεπτος. *Veteres eleganter dixerunt: DEUS ut non es sentiam, sic nec mutat sententiam, referente* D. Meisn. d. 16. Antr. t. 47. q. 1. *Idem Deum* τὸ ἓν & μονάδα *dixerunt,* ἀπὸ τοῦ μένειν, *quod cæteris in corruptionem tendentibus* αὐτὸς μόνος μένει, *ut ex* Cœl. Rhodigi: *narrat* Durelleus c. l. *Ex* Gentilibus *immutabilitatem DEI propugnant* Ari-

stote-

ſtoteles 8. Phy. c. 5. t. 44. c. 6. t. 46. 50. 52. l. 1. d. cœl. c. 3. t. 22. c. 9. t. 100. l. 5. Eth. Nicomach. c. 10. l. 12. Meta. c. 7. 8. l. d. mundo, (*ſi modò iſte eſt Ariſtotelis, quod omninò negant* Muret. l. 2. V. L. c. 8. Cœl. Rhodig. l. 24. ant. lect. c. 3. *Alijq;*) c: 7. *Deum Anancen dictum ait, q. necesſitatem, quod natura quædam ſit immobilis*. c. 6. *fatetur nullam correctionem aut varietatē admittere. Platonici. vocantes Deum immobilem unitatem*, *ut ex* Ficino li. d. immort. anim. *allegat* Cl. J. Mart. l. 2. ex. Met. ex: 4. th. 14. *& conſtat ex* Apuleji *libro d. dogmat. Platonis. Plato ipſe*, dial. 2. d. Rep. p. 80. Plutarch. l. d. Ei. ap. Delph. Senec. l. 6. d. benef. c. 23. *Statuerunt Dij, ait, quæ non mutarent. Nec unquam primi conſilij Deos pœnitet*. Apulej. d. Deo Socr. c. 3. *Vivacitas apud Deos æterna & indefecta, hic caduca & ſubciſiva. Sic & alij pasſim ſaniores ex gentilibus.*

10. *Ex ipſis* Adverſarijs *quædam teſtimonia huc faciunt. Vt* Vorſtij, *concedentis divinam eſſentiam & attributa interna ſimpliciter eſſe immutabilia*, dis. 3. d. Deo. t. 4. not. ad diſ. 3. t. 4. d. 6. t. 34. notis ad dis. 6. t. 34. 35. exeg. apol. c. 11. ſchol. alexic. ad com. Lubberti §. 10. 20. 22. Catal. error. Lub. §. 20. *Volitionem tantùm ſeu actum ad extra tendentem & ad certa objecta ſe liberè determinantem eſſe contingentem & indifferentem, adeoq; tàm abeſſe poſſe à Deo, quàm adeſſe*. ex. apol. c. 10. 11. cat. er. Lub. §. 20. ſcho. alexic: §. 10. *Quod ſic explicat in* amic. collat: ſ. 4. *Actum divinæ voluntatis integrè juxta objectum ſuum adæquatum ſpectatum ſemper eſſe invariabilem: etſi objecta ejus particularia in eventu, executione, variè mutentur*. ſ. 12. *addit, non magis ex iſtis eventibus varijs mutari decreta Dei in ſeſe, quam* columna immobilis *in ſe moveatur, ſi per noſtrā converſionem ſiniſtra vel dextra nobis efficiatur. Contra* Sladum par. 2. p. 134. *non totam Dei voluntatem, ſed partem*

 ejus

ejus à conditione pendentem esse mutabilem ait, sed mutatione apparente & figuratâ. p. 135. *potius videri ait istas species voluntatis in conditionibus mutabiles esse, quàm esse.* p. 136. *synechdochicè dici ait, ipsam voluntatem mutari, cum pars aliqua conditionis mutatur. Nec enim istam partem seorsim acceptam esse integram voluntatem, quæ semper etiam in conditionatis maneat immutabilis. Hoc ex* Esai. 1. v. 19. *illustrat.* p. 136. 137. *ait, non sic prorsus immutabilem esse voluntatem divinam, ut essentia sit: etsi aliàs verè sit immutabilis. Ita comparativè & discretivè se mutabilitatem voluntatis diu: intelligere, quod voces, eatenus, quatenus, aliquo modo, tropum indicantes, satis ostendant.* p. 116. 117. *negat, actiones Dei externas liberas subjacere propriè dictæ alterationi, sed tropicæ & catachresticæ: esse solam liberorum actuum variationem: Voluntatem divinam esse principium alicujus mutabilitatis, i. e. vertibilitatis ad opposita, seu arbitrariæ libertatis, & indifferentiæ, quæ instar sit mutabilitatis. In* dis. 6. t. 34. *&* notis ad h. l. *concedit, si voluntas Dei mutari videatur, non in Deo esse mutationem, sed objecta & effecta voluntatis aliter & aliter se habere. In* parasc. ad ami. coll. p. 2. c. 9. th. 3. *negat, ex eo, quod homines ex uno ordine decretorum ad alium transeant, decreta Dei mutari. Immutabiliter enim piis gratiâ parcentem, impiis iram punientem esse decretam.* In amic. colla. f. 14. p. 49. *nec sententiam quidem Deum mutare ait, integrè propositam. Nisi vel malè intelligatur, vel per partes: vel absolutè sumatur, quod conditionatum sit. Hæc & similia moderatam admitterent explicationem, nisi contrariis hypothesibus & periculosis locutionibus everterentur, de quib.* th. 12. *Ex* Photinianis Smalc. c. D. Frantz. d. 12. p. 428. *ait, non nescimus, attributa Dei omnia esse infinities distincta ab humanis rebus omnibus. Si infinites distincta. E. non mutabilia, ut in hu-*

ma-

manis. *Idem* d. 1. p. 2. *ex* Brentio *ait*, *Voce Iehova potiùs voluntatis Dei immutabilitas indigitatur, quàm essentia.* Id. c. Graver. d. perf. Ch. p. 8. *Natura mutabilis & immutabilis (divinam intelligit) nullo modo in unâ personâ uniri possunt.* Bebeln. c. Keck. p. 2. c. 8. p. 132. *Æternum duplex est, ait, id quod potest semper esse, & id quod semper est absq; potentiâ. Necessarium hoc: illud contingens est æternum. Si Deus necessarium ens, & æternum absq; potentiâ, & immutabilis est.* Socinus def. animad. ass. 1. c. 4. p. 2. §. 1. p. 62. *Deus est naturâ immortalis, æternus, & immutabilis.* Arminiani *Deum in seipso semper invariabilem omniquè modo immutabilem concedunt. In* Confess: c. 2. th. 6.

11. Ita vera sententia *confirmata: Ei obluctantur plurimi dissentientes, partim* Veteres, *partim* recentiores. *Ex* Veteribus *immutabilitatem Dei negârunt*, Secundinus *Manichæi discipulus apud Augustin.* T. 6. col. 529. *Almareani, statuentes Deum esse animam cœli, & sic mutationem ei inducentes,* ap. Lutzenburg. in Catal. hæret. tit. Almareani. Almaricani *cum* Almarico, *circa an. 1204. qui ideas in mente divinâ & creare & creari posse statuebant, ap.* eundem c. l. & Gaulterium Chron. Ecclesiæ, sec. 13. p. 684. *Fitq; istius Almarici mentio in* Jure Canon. decret. Greg. l. 1. t. 1. c. 2. *Antropomorphitæ, humanam figuram & affectus Deo attribuentes. Quibus consentiunt* Mahometistæ, ap. Lutzemburg. c. l. *voce Mahom:* & Chavass. l. 1. d. not. rel: c. 4. th. 3. *Apollinaristæ, verbi s.* λόγȣ *aliquid in carnem conversum, & mutatum dicentes,* ap. Augustin in de hæres. Ariani *quidam, Deum patrem non semper fuisse dicentes, ut Aithalis, Carponius, Sarmatius quidam & alij* in hist. tripar. l. 1. c. 13. *Quidam* David de Dinanto, *qui Deum fecit materiam primam, & sic summè mutabilem, ap.* Thomam p. 1. q. 3. ar. 8. *Quidam Alexander Epicureus Philoso-*

losophus idem sentiens, ut ex Alberto M. narrat Perer. l. 5. Phy. c. 12. *& Hermogeniani materiam Deo, non naturæ comparantes, ap.* Lutzemb. c. l. tit. *Hermogeniani.* Eunomiani *Deum in scientiâ fecerunt mutabilem, dicentes, nihil eum de suâ substantiâ novisse amplius, quam nos.* Lutzemburg. c. l. *tit: Eunomiani.* Gnostici *animam naturam DEI dicentes ap. eund.* c. l. tit. Gnostici. *Albanenses Deum non præscire ex se aliquod malum dixerunt, sed per adversarium suum Diabolum.* Gaulter. c. l. p. 574.

12. Ex Neotericis *immutabilitatem Dei subvertit* Vorstius *varijs modis. Disputat quidem, Dei essentiam & affectiones, & voluntatem ad intra spectatam absolutè esse immutabiles:* V. t. 10. *Interim varijs in locis tales fovet hypotheses, cum quibus immutabilitas Dei vix consistere poterit.* D. 6. d. Deo th. 36. *ait, quædam Deum in tempore re ipsâ velle, quæ antea in specie noluerit, vel definitè velle aut non velle, quæ antea definitè nec voluerit, nec noluerit. Sic non velle jam eum cultum, quem in V. T. voluerit: nunc velle generalem gentium vocationem, quam olim noluerit. Eadem repetit in* not. ad d. 6. t. 36. 37. p. 366. *Eodem loco* t. 34. 35. *ait, Voluntas Dei ad extra quia libera est & vertibilis ad opposita, ideò & mutabilis esse videtur. Et pòst: Quæ sub conditione vult Deus, vel quæ fieri tantùm desiderat, vel quæ etiam fortassis indefinita relinquit, in ijs aliquo modo mutabilis est Dei voluntas.* Not. ad dis. 3. p. 189. 194. *ait, Deum habere in se principium alicujus mutabilitatis, liberam voluntatem.* p. 190. *disputat, multa in Deo dari decreta reverâ inter se diversa, aliud & aliud in Deo esse, nempe subjectum & accidens, agens & actionem. Cum excipitur, nostro intelligendi modo illa diversa esse: in Deo unum simplex quid esse, reponit* p. 191. *om. sanam rationem reclamare, quæ nullo modo concedat, idem esse sui ipsius causam, effe-*

ctum,

ctum, subjectum, aut correlatum aliquod. Similia repetit in parasce. ad Piscator. p. 2. c. 5. amic. collat. cum Piscat. §. 38. exeg. apologet. c. 10. Schol. alexic. ad Comm. Lubberti §. 10. 20. 22. resp. c. Sladum p. 2. p. 126. & 34. argumentis *ad calcem libri istius confirmat.* p. 192. d. attr: diu: *negat axiomata illa simpliciter vera, in Deum non cadere ullam diversitatem aut compositionem: Nullum in Deo accidens esse: Quicquid in Deo est, esse ipsum Deum. Et repetit* c. Sladum l. c. p. 125. 126. *&* Catal. erro. Lubbert: §. 20. 21. 22. 34. *limitat ad ea, quæ Deo per naturam insint. Decreta verò & operationes liberas non per naturæ necessitatem, sed meram arbitrij libertatem inesse.* p. 203. de attri: div. & in parasc. ad amic. collat. cum Piscat. p. 2. c. 5. exeg. apol. c. 12. *in divinis tempus in genere acceptum s. Logicum esse disputat, h. e. durationem præteritam, præsentem, vel futuram, idq́ ex vocibus ante & post constare posse. At ubi tempus præteritum, præsens, & futurum, ibi mutatio.* V. d. 1. t. 14. *In* Catal. Err. Lubberti §. 19. *negat, à quo Deus dicatur qualis, illud ei essentiale esse. Nam & ab irâ gratiâ, potentiâ dici qualem, quæ tamen ei non simpliciter essentialia. Ibidem* §. 20. *disputat, nihil eorum, quæ Deus extra se velit, præcipiendo, prohibendo, promittendo, minando, &c. ad essentiam Dei pertinere. Sic voluntatem Dei esse sanctificationem nostram.* 1. Thess. 4. *fidem in Christum* Joh. 6. *Quorum neutrum ad esse Dei pertineat. Sic volendi actum ad extra tendentem Deo non posse esse essentialem, cùm sit indifferens, liber, contingens, varius, & multiplex, sæpè alter alteri oppositus, sic voluntas creandi, servandi, damnandi, &c. Eadem habet in* Schol. alexic. §. 10. *& cum ipso* Moscorou: c. Smigl. d. baptis. c. 3. p. 61. *Citato loco* th. 20. *disputat Vorstius, non posse liberum voluntatis actum, ad extra, planè necessarium esse, cùm objecta Deo necessaria non sint.*

sint. Si autem necessarius non sit, contingentem esse. Non posse enim necessarium & contingens in eodem esse. Nec illa in objectis tantùm, sed & ipsis actibus differre. Nec posse circa objecta finita actum infinitum, nec circa varia planeq́ diversa & contraria eundem specificum & singularem actum, præsertim merè voluntarium, exerceri. §. 22. ait, decreta Dei ab æterno facta esse: sed essentiam neminem sanum factam esse dicere posse. Vnde diversitas eluceat. Ibidem decreta Dei vera accidentia generalia esse ait: & §. 10. *Dei essentiam verè ac realiter, imò essentialiter ab actionibus liberis diversam esse statuit. Hæc & similia, quæ passim in scriptis Vorstij occurrunt, immutabilitatem Dei non parum labefactant.*

13. Vorstio *succenturiantur* Photiniani, *varijs hypothesibus Dei immutabilitatem evertentes. Actiones & facultates Dei esse ipsum Deum negando.* Bebelno c. Keckerm: p. 1. c. 3. p. 26. 27. *Proprietates naturâ comitantur essentiam. Essentia rei dat esse. Et post: Numero eadem futura Dei posse & velle ait, si posse est Deum esse: tùm & velle. Similia habet* c. 2. p. 23. c. 5. p. 71. Smalcius *inter errores Smiglecij* err. 2. præf. libri d. err. Arian. *numerat, asserere, quidquid in Deo est, Deum esse. Idemq́ verum esse negat* c. Smigl. de Diu. verbi. c. 2. p. 8. *Et cum eo Moscorovius* ref. appendic. ad nou. monst. p. 26. & l. de baptis: c. 3. p. 60. *Cum* Vorstio *quædam accidentia in Deo ponendo, quæ nempe â liberâ ejus voluntate pendeant.* Smalc. d. diuj: ver. p. 8. 9. Moscorou. c. l. p. 27. & l. d. bapt: c. l. p. 61. 62. 63. *Vbi Decreta Dei effecta ess: divinæ facit: At nihil prorsus idem sui esse effectum, ut nec causam.* Id. p. 28. appendic: *ait, opus liberrimæ voluntatis Dei, ut caritas, nequaquam per naturam Deus est.* Smalc. c. Grau. d. pers. Chr. p: 14. *rectè dici negat, potentiam divinam esse ipsam essentiam, cum potentia*

com-

communicari possit, essentia non. Cum regio jussu Vorstij libri de Deo & attr. diu, *publicè in Angliâ essent exusti, malè id habuit Photinianos, ut ex* Reuchlinij *parænesi ad* Casaubonum Anno 1614. editâ *videre est. Unde eos hoc in tertio à sentētia Vorstij non alienos esse constare potest. 2. Deo futurorum contingentium scientiam negando.* Socinus præl. c. 8. 9. 10. 11. Smalc. c. D. Frantz d. 12. p. 428. 429. *seq:* Stegm: in probâ c. 3. p. 222. 223. *3. Deo tempus & fluxum per præsens, præteritum & futurum tribuendo.* Socin. c. 8. præl. Bebeln. c. Keck. p. 2. c. 8. *4. Christum verū Deum esse, & à patre in tempore per exaltationem factum, potestatem ei in tempore datam, & æqualem patri factum asserendo.* Smalc. c. Smigl. d. err. Ar. l. 1. c. 6. l. 2. c. 3. & exam. 100. err. p. 6. 12. *Sic aperta mutatio per dationem in tempore vero Deo infertur. 5. Deum certos homines nominatim prædestinasse negando, sed tantùm genus quoddam hominum elegisse.* Socin. prælect. c. 13. Stegman. in proba. c. 12. p. 448. 451. Catech. Racou. p. 295. *Ita certitudinem electionis cujusq; in specie ex eventu demum Deus metietur, quod non negat* c. l. Socinus p: 61. 65. *& sic in cognitione mutabilis erit. 6. Electionē divinam mutabilem dicendo, & electos perire posse affirmando.* Socin. in libel. suas: p. 13. lib. d. offic. hom: Christ: c. 11. & c. 13. præl. p. 61. 64. *Ubi & inter electionem firmiorem & infirmiorem distinguit.* p. 62. & p. 71. *scriptos in librum vitæ deleri posse affirmat. Photinianis consentiunt* Arminiani, *decreta Dei libera fatentes mutabilia cum Vorstio,* Armin. c. Penkins. f. 195. Episcop. d. D. volunt. th. 7. 21. *Ut ostendit pluribus* Peltius harm. Rem: & Phot: p. 11. *Iram, timorem, pœnitentiam & similes affectiones proprio sensu Deo inesse statuentes, ut de Grevinghovio ostendit* Amesius rescr. c. Greu. p. 1. c. 2. p. 15. *Electionem incompletam & non peremptoriam, ut ipsi loquuntur,*

tur, esse mutabilem & per se interrumpi dicendo, ut habet Alsted. Th. Pol. p. 6. q. 6. *Merita humana movere propriè voluntatem Dei ad decernendum hoc aut illud.* V. Amesium in scrip. synod. d. præd. c. 11. §. 4. *Immutabilitatem Dei labefactat &* Huberus, *electionis mutabilitatem & electos perire posse docens, quod ex doctrinâ de propriè dictâ universali electione omnium ad salutem necessariò consequitur, de quo Vid.* D. Meisn. d. 16. Antro. q. 1. t. 59. Photiniani *nostris eundem errorem mutabilitatis & partibilitatis Dei attribuunt ex dogmate de generatione æternâ filij Dei.* Moscorou. c. Smiglec. d. bapt. c. 9. p. 198. Smalc. c. Smigl. d. diu. nat. Verb. c. 3. p. 11. 12. c. 28. p. 169. l. 2. d. err. Arian. c. 17. d. perf. Chr. c. Grav. p. 19. c. Francium dis. 1. p. 3. Socin anim. ad art. Posn. ass. 2 n. 3. & def. animadv. ass. 1. c. 4. p. 3. §. 12. & in lib. suasor. p. 34. Bebelno c. Keck. p. 2. c. 8. Crell. l. 2. d. un. Deo s. 2. c. 3. Ostorod. Inst. c. 7. §. 1. *Vt & ex dogmate incarnationis filij Dei.* Smal. d. Verbi inc. nat. c. Smiglec. 25. p. 140. c. 28. p. 169. homil. 8. in c. 1. Johan. p. 88. Socinus in c. 1. Johan. v. 14. p. 40. & def. anim. c. l. p. 2. §. 1. p. 66. *Quæ qui se habeant, ex resolutione objectorum patebit.* V. t. 17. 18. Chavassius *Iesuita* l. 1. d. not. rel. c. 4. §. 4. *nobis tribuit, quod Deum faciamus corporeum, adeoq; mutabilem, quòd Lutherus Christum secundum utramq; naturam passum docuerit, idemq; nos defendamus: Quod propria unius naturæ dicamus supposito convenire, non solùm secundùm eandem naturam, sed & aliam: ita, ut sicut Christus ut homo sit omnipotens, ubiq; præsens, sic & Christus ut Deus sit passus, mortuus, sepultus, &c. Quod Lutherus beatitudinem futuræ vitæ in voluptatibus corporeis posuerit; & ita Deum corporeum statuerit, sicq; mutabilem. &c. Sed hæc meras calumnias esse alibi benè ostendunt Theologi.* V. D. Gerhard.

exe-

exc.d.Per.Chr.§:198.& T.9. d. vit. æt.§.165. D. Brochm. L. C. d. Christo. c. 8. q: 9.c. 12. q. 1. Piscator not. ad coll. Vorstij p. 26. *ex distinctione voluntatis antecedentis & consequentis, absolutæ & conditionatæ, à nobis labefactari immutabilitatem DEI asserit. Sed & hanc esse calumniam ostendit* D. Gerhard. d. 9. d. glor. D. c. 80.

14. *Fuerunt* dissentientium *sententiæ: Videnda sunt brevibus potiora quædam* argumenta, *quibus fidem suis placitis astruere conantur.* Dices: I. Deus in tempore *factus est creator, gubernator, conservator, Dominus, Imperator, &c. creaturarum, cùm ab æterno non fuerit talis. Erit aliquando destructor creaturarum, cùm non ab æterno. Nam hæc nomina involvunt respectum ad res creatas, quibus non existentibus nemo potest dici creator, dominus, &c. E. mutatus est ab eo, quod ab æterno non fuit, ad id, quod in tempore esse cœpit. R.* Varia *hic responsio.* 1. Quidam *respondent, mutationem veram requirere subjectum præexistens, quod transeat ab uno termino ad alium. Hoc quia in creatione non est, creatura enim non præexistit, sed per creationem demum ex nihilo fit aliquid, negant in creatione esse veram mutationem.* Conimbric. in 8. Phys: c: 2. q. 1. ar. 3. Becan. p. 1. Th. Sch. c. 18. §. 4. Durelleus l. 1. Dialecticoth. c. 9. p. 203. 2. Alij *relationes in tempore Deo advenientes, ut esse creatorem, dominum, gubernatorem, &c. ex parte creaturæ dicere relationes reales ajunt, ex parte Dei tantùm rationis, & sic veram mutationem Deo inducere non posse. Esse enim entia rationis.* Thomas p. 1. sum. q. 13. a. 7. D. Gerh. ex. T. 1. d. attrib. div. §. 154. D. Graver. p. 1. Au. Conf. ar. 1. c. 3. p. 119. Valentia T. 1. d: 1. q. 13. p. 2. 4. Suaretz. d. 47. Met. s. 15. n. 17. *ubi* Cajetanum, Ferrariensem, Capreolum, Bonaventuram, *aliosq́; pro hac sententiâ citat.* Fonsec. l. 5. Met. c. 15. q. 1. s. 5. 6.

15. 3. Alij *concedunt, & creationem mutationem dici, cum subjectum primò de novo fit, ut in creatione, quæ dicitur mutatio contradictoria ab non esse ad esse.* Scal. ex. 6. s. 13. Dn. Scheibl. l. 2 Meta. c. 3. n. 636. August. l. 5. d. trin. c. ult: *& relationes illas in Deo, esse creatorem, Imperatorem, &c. esse* reales: *Non enim sunt meri conceptus omninò extrinseci, à nostrâ tantùm cognitione & concipiendi modo dependentes; prius enim Deus est creator, Imperator, &c. quàm quisquam cogitet eum talem esse: & fundantur hæ relationes in verâ potentiâ creativâ, coërcitivâ, gubernativâ, &c. & actu creationis, imperationis. Sed negant,* inferri hinc veram mutationem in Deo, *quia non differant realiter istæ relationes à suis fundamentis, sed tantùm ratione. Dicunt enim essentias suorum fundamentorum cum coexistentiâ novi termini fundamentis istis omninò extrinseci. Ita Nominales,* Occamus, Gabriel Durandus, Gregorius, Marsilius, Anshelmus *ap.* Suaretz c. l. n. 16. *Quos sequitur* Mendoza d. 15. Meta. s. 2. §. 7. 19. *nec abnuit Durelleus* c. l. c. 7. p. 165. *Et nihil inconveniens vel imperfectum ex hâc sententiâ sequi in Deo fatetur* Suar. c. l. n. 21. *posseq́; hoc modo defendi concedit* Valentia c. l. *Neq́; magnoperè stringunt hujus argumenta contra istam sententiam, quæ proponit* c. l. *Ex* horum *sententiâ aptissimè ad argum: respondetur. Negatur connexio argumenti. Esse creatorem, dominum, &c. dicit relationem in Deo ex tempore, sed non infert mutationem. Tùm enim res verè dicitur mutari, cùm acquirit rem novam, quam antea nullâ ratione, nisi in potentiâ passivâ habuit. Sic mutatur materia, cùm ex unâ formâ substantiali transit in aliam: Pannus, cum ex albedine transit in nigredinem. At creatorem, imperatorem esse, non dicit rem novam in Deo, ipsi Deo velut internè inhærentem, sed tantùm novum respectum ex re, quæ dudum fuit in Deo, &*

istius

istius respectus est fundamentum, à quo ipsa relatio non differt realiter: sed est ipsa res, cum connotatione rei vel termini coëxistentis illi. E. g. esse creatorem, gubernatorem, Dominum, non est nova res Deo in tempore superaddita: sed idem cum virtute creandi, gubernandi, dominandi, quæ ab æterno in Deo: tantùm dicit respectum ad terminum extrinsecum *ex tempore ei coëxistentem, creaturam gubernatam, dominatam, imperatam, &c. Qui terminus importat deinde vicissim respectum ad Deum, sed ex quo in Deo nulla est mutatio, sed ad terminum saltem relatio. Sic Dominum esse dicit potentiam & essentiam Dei, & creaturam coexistentem cum dependentiâ ab illâ. Nulla hic nova res a. perfectio in Deo, nulla mutatio. Sic relationes similitudinis in albedine duorum parietum fundatæ nullam in eo pariete, qui similis dicitur, faciunt realem mutationem, modò alter in albedine isti fuerit similis factus. Fundatur enim similitudo non in aliquo, quod ab albedine realiter differat, sed in ipsâ albedinis essentiâ. Sic Deus & creatura dicunt relationem causæ & effectus, fundatam in ipsis essentiis Dei & creaturæ, â quibus non differt realiter.* Deus *per suam essentiam est causa, eiq́ nihil novæ rei in essentiâ accedit, adeoq́ hic nulla mutatio:* Creatura *per suam essentiam est causatũ, & sic terminus relationi, quæ in Deo est, ab extra coëxistens.* In hac est mutatio, propter novum esse, quod per creationem consequitur: In Deo nulla, *quia ex creatione nullum novum esse in ipso, sed comparatio saltem vel respectus ipsius esse ad aliam rem de novo per actionem, quæ dicitur creatio, productam, oritur, quo esse divinum ad novam istam rem comparetur.* Augustin: 5. d. trin. c. 16. *urget exemplum nummi, qui diversis relationibus dicitur* & *pignus,* & *pretium,* & *merces,* & *donum: nulla mutatione verâ in nummo importatâ. Ita si quis in Africâ albus fiat, mihi similis in albedine*

 fiet,

fiet, nullâ verâ mei mutatione positâ, sed in illo, qui mihi albus factus dicitur. Nec similitudo albedinis inter me & illum mihi ullam novam rem internè superaddet: tantùm comparationem vel respectum similitudinis in albedine utriusque fundatum. Ita relationes sine mutatione ejus, qui ad aliud refertur, inesse possunt, modò alterum eorum vel mutetur, vel etiam non mutetur. Vt ex Thomâ *benè persequitur* Arriaga d. 11. Log: s. 5. n. 19. *In nonnullis creatis, ubi relationes â fundamentis differunt realiter, sequuntur mutationes. Sic inter patrem & filium. Vbi relatio in aliquo extremo non differt realiter â fundamento, nec mutatio sequitur. Vt benè probat* Mendoz. c. l. s. 2. §. 13. 14. *Et concedere cogitur* Suaretz c. l. *In Deo verò ita esse ex simplicitate Dei & sanâ ratione praeassumimus.*

16. *Vt clariùs dicta patescant, removendae sunt exceptiones quaedam, quae adversus ea, quae dicta sunt, adferri posse videntur. Veluti* 1. Creatio *est vera actio, quae Deo accessit in tempore, cum ab aeterno in eo non fuerit; non sola ad creaturam relatio. E. verè mutavit eum.* R. *Creatio est vera actio, sed transiens, quae terminatur in alio: non immanens, quae in ipso agente recipitur. (Quidam transeuntem appellant non formaliter, sed virtualiter, quia objectum non praesupponit, sed efficit.* Ames. l. 1. med. Theo. c. 8. §. 3. *Est lis saltem de voce, quae facilè componitur.* V. Dn. Scheibl. 2. Meta: c. 3. n. 639. 640.) *Transiens actio est propriè ab agente, non in agente. Non ergò veram mutationem inferre potest.* Mutatur tùm res, *cum forma nova in ipsam rem, quae mutatur, introducitur. At creatione non inducitur forma in Deum, non enim in eo recipitur, sed in terminum & objectum creatum. Hoc propriè mutatur ab non esse in esse: Deus dicitur creator, gubernator, imperator, &c. non denomina-*

na-

natione ab internâ novâ formâ sumptâ, sed externo termino extra Deum coëxistente: expositione nempe rei creatæ, vel actionis creatricis circa rem de novo creandam ab extrà occupatæ. Ita creatio, quia in creaturâ mutat aliquid, mutatio dici poterit, sed in creato, ad quod terminatur: Emanante ab creatore saltem operatione creativâ, & in objectum creandum extrà directâ. Conf. Conimbr. 8. Phy: c. 2. q: 1. a. 3. *Ad eundem modum, quo opera Dei non inferre compositionem Deo dicuntur, quia non sunt* in Deo *terminative, sed* à Deo *emanativè.* V. Schei. c. I. n. 631. *Ita calorem dicimus visum, sonum auditum: denominatione extrinsecâ ab audiente, vidente, factâ, in quo est mutatio: nullâ soni, caloris, verâ mutatione admissâ.*

17. Excipies 2. Falsum est, *actionem transeuntem non esse in agente. Omnis enim actio in agente est, quà actio; sed in patiente est id, quod ab agente efficitur. Sic calefactio est in igne. Sed calor ab igne impressus est in aquâ. Induratio est in sole, ut actio: sed effectus indurationis in luto. Eruditio, verberatio, est in præceptore, ut actio: Passiones sunt in discipulis. Ita* Vorstius in Sch. alex. ad com: Lubb: §. 10. p. 43. *R. Actio transiens dicitur, quod transeat ab agente in patiens. Per hoc enim contradistinguitur immanenti, quod transeat ab agente in passum unà cum suo termino, sicut immanens unà cum eo manet in agente. Vt benè* Morisan. d. 7. Phy. q. 4. *Quæro*, quid transeat in patiens, *si ipse actus non transit?* Vorstius *dicit, effectum. At effectum non dividitur in immanens, & transiens, sed actio? Actionis ergò est transire. Nam in hac habitudo effecti ad causam non est* esse in, *sed* esse ab. *Calefactio, induratio, eruditio, verberatio, &c. ut actiones sunt terminos suos connotantes, à quibus denominationes suas habent, in iis sunt, quæ calefiunt, indurantur,*

eru-

erudiuntur: ab ijs, quæ calefaciunt, indurant. Vis verberandi, calefaciendi, tanquam adjuncta sunt in agentibus: tanquam actiones in patientibus. Sic vis rotandi est in rotante: rotatio ab rotante, & in ipsâ rotâ. Sic Aristot. 3. Phy. c. 3. t. 22. *ait, hujus in hoc, & hujus ab hoc actum esse, ratione diversum esse. Et facilè patet:* In quo *est influxus agentis transeuntis, in eo est actio transiens. Nam actio est influxus in patiens. At iste influxus est in patiente. Nam quod mutatur, in eo est influxus. Sic lignum, domus, uritur. Ergò in eo ustio ignis. At patiens mutatur, v. g. discipulus, aqua, lutum. Ergò. Relatio agentis transeuntis ad patiens est in agente: Ipsa actio transiens formaliter in patiente. Plura* V. ap. Cl. J. M. C. 2. d. 5. q. 2. Dn. Schei. l. 2. Met. c. 10. n. 46. 47. Suarez d. 48. Meta. s. 4. n. 6. 7. Conimbr. in 3. Phy. c. 3. q. 1. a. 1. 2. Morisan: c. l. *& alios Philosophos.*

18. Excipies 3. Falsum *est, creationem non differre ab suo fundamento in Deo realiter. Nam fundamentum creationis, vis creandi, vel essentia divina est æternum quid, simpliciter necessarium, ipse Deus: Creatio est in certo tempore, libera & contingens Dei actio, & quæ abesse à Deo potuisset, adeoq; non ipse Deus. Nec commodè potest dici, Deus est sua creatio. At quorum unum est æternum, alterum temporarium, ea realiter differunt.* R. Quorum *unum est æternum absolutè & omni modo, alterum temporarium omni modo, & nullo modo æternum, ea differunt realiter. At de creatione non ita est.* Passivè *ea sumpta est in tempore, contingens; & ipsa creatura cum dependentiâ ad creatorem sumpta: sic non est Deus, sed omninò differt à DEO realiter; vel est primò diversa, ut alij loquuntur: est enim fundamentaliter in ipsâ creaturâ:* V. Scheib. c. l. n. 634. Activè *sumpta sumitur* vel *absolutè, sic est ipsa vis & essentia creans, ut volitio est ipsa vis & essentia volens, per modum actus significata; sic & æterna,*

æterna, & necessaria, & ipse Deus est: vel connotativè, sic est essentia divina non absolutè, sed cum relatione ad creaturam sumpta. Quæ relatio quia non est nova res in creatorem introducta, sed denominatio ex respectu & comparatione ad creaturam in creatore orta, V. t. 15. non importat reale discrimen inter esse Dei & creare Dei, sed rationis, adeoq; veram mutationem inducere non potest. Et in isto discrimine satis fundantur diversa ista prædicata de essentiâ Dei & hoc respectu actionis ex creaturis importato, ut essentia dicatur æterna, necessaria, absoluta, ipse Deus: creatio temporaria, libera, non ipse Deus, sed actio Dei ad externa objecta terminata. Si regeras, impossibile & contradictoriũ esse, unum & eundem actum circa idem objectum spectatum esse simùl æternum & temporarium, necessarium & contingentem, finitum & infinitum, creatum & increatum, Deum & non Deum, absolutum & respectivum. Nam hæc sese mutuò evertere, cum Vorst: app. exeg. apolog: p. 198. Resp: Impossibile esse id de eodem actu, eodem modo & ratione spectato enuntiare. At accedente alio concipiẽdi & spectandi modo, prorsus diverso â priori, non diversa modò, sed & contraria prædicata de eodẽ actu enuntiantur. Sic attributa Dei â parte rei sunt ipsa essẽtia: & attributa â parte nostri formalis concept⁹ non sunt ipsa essentia, sed aliquid velut ab eâ emanans. Non sunt ἀτύςαλα, quia certis considerandi fundamentis nituntur, ut ostendi disp. 4. t.12. Sic de eodẽ actu solis, calefactione, contraria enuntio, mollire & durare, astringere & liquare. V. t.24. Idẽ de creatione habendũ. Creatio ad intra in ipso esse divino citra flexionẽ ad objecta externa absolutè spectata est ipsa essentia divina, necessaria, æterna, absoluta: Eadẽ ad extra ratione extensionis ad objecta creata spectatæ, non est essentia Dei, sed aliquid per modũ actionis transiens â Deo, & in creaturâ receptũ & terminatum: libera actus divini ad

D ob-

objectum externum faciendum flexio, temporaria, respectiva, & â termino dependentiam dicens. Hæc determinatio in ipso actu divino mutabilitatem non dicit, sed indifferentiam: In objectis creatis, in quibus recipitur, mutabilitatem & essendi novitatem introducit. Sic ipsa creatio creatum quid *dicitur non per modum facti, sed actionis ab ente increato dependentis, citra absurditatem. Quomodo effectus & opus & operatio, &* ἐνέργημα & ἐνέργεια *dicitur,* V. Scheibl. c. l. n. 630. *Si omninò ratio hic contradictoria & inconsistentia fingat, fateamur potius intellectus humani etiam ad manifestissima penetranda stupiditatem, jam olim Aristoteli questibus egestam,* 2. Metap. c. 1. *quàm divinæ essentiæ & infiniti entis negemus aut labefactemus sublimitatem.*

19. Excip: 4. Om: *relatio realis est ens dependens â suo termino. E. si in Deo est ex creatione, imperatione, &c. relatio realis, erit in Deo aliquid dependens ab alio, quod imperfectionem involvit. Nam Deus est ens simpliciter & omnimodè independens ab ullo alio.* R: 1. Ens *dependens ab alio ut causâ, subjecto, tempore, & superiori, involvit imperfectionem, & in Deo nullo modo est: non â termino extrà coexistente. Hoc nullam imperfectionem dicit, sed unius ad alterum comparationem, quæ ex se nec perfectionem dicit, nec imperfectionem, sed indifferens est: perfectionem sumit ab fundamento, in quo est. Quod quia in Deo est vis creativa & coërcitiva, quæ infinita est, imperfectionem involvere non potest.* V. th. 15. 2. Aliud est, *Deum dici creatorem per habitudinem ad creaturas, hoc nihil imperfecti habet: aliud, creationem ejus activè sumptam dependere â creaturis. Hoc falsum, & imperfectum. Sic aliud, Deum dici bonum in habitudine ad creaturas: & absolutè bonitatem ejus dependere â creaturis. Conf.* Durelle. c. l. c. 7. p. 170.

20. Dices II. Deus generat *ex essentiâ suâ filium sibi coes-*

coëssentialem, de nostrâ fide, qui est idem Deus. E. mutatur] Nam generatio est à non esse ad esse mutatio: R. Generatio est mutatio à non esse ad esse in ijs rebus, *in quibus eam potestatem verbum generare habere potest, quæ nempè generant cum motu, tempore, & mutatione. In ÿs, quæ eam potestatem habere non possunt, ut æterna & cœlestia sunt, etiam generatio non præcisè est mutatio: sed ejusdem essentiæ alteri supposito ab generante facta communicatio. Hæc est abstracta ratio, omni generationi, ut generatio est, competens: Altera specialior, generationi, ut talis & talis est, conveniens. Generatio divina est æterna, nec initium nec finem habens. Non ergò in illâ motus, mutatio, inceptio, desitio, tempus, urgenda sunt. Verba ab humanis ad divina translata separanda primùm sunt ab omni imperfectione & impuritate, quibus in humanis subjacent, & tùm divinis applicanda, ut monent Philosophi.* V. Cl. J. Mart. l. 2. Eloh. c. 51. D. Kesler. Log. Phot. proë. mem. 4. can. 1. *Nec sequitur,* si in uno membro vocis proprium & ex naturalibus sumptum significandi modum urgeamus, continuò & in altero id facere cogamur, *quorsum nos redigere vult* Crellius l. 2. d. un. Deo s. 2. c. 3. *Sic in voce substantiæ unam significati partem Deo tribuimus, quod per se subsistat, alteram negamus, quod substet accidentibus. Vt rectè* Becanus p. 1. T. S. tr. 2. c. 3. q. 6. §. 3. 4. *Imò sæpè prorsus alia fiunt vocum Philosophicarum significata in Theologiâ à Philosophicis, ut vox* fidei, justitiæ, *& similia docent, ne ipsis Photinianis negantibus. Si urgeas, generatum esse, & ab æterno esse, contradicentia esse, nam generatum esse qualicunque modo, præsupponere ante, cujus in æternitate locus non sit, cum Moscor:* l. d. bap. p. 196. *facilis responsio est. Generatum esse præsupponit ante, sed pro naturâ generationis,* vel *ante ordinis & originis,* vel *ante temporis. Illud ante in divinis locum*

 habet,

habet, quo pater dicitur ratione ordinis & originis prior filio, & filius essentiam à patre ut origine communicatam habere intelligitur: Hoc ne in naturalibus quidem locum habet. Nec enim pater vel momento temporis *prior est filio, sed* simùl *cum eo: etsi causâ, naturâ, & origine eo sit prior, ut rectè accurati Philosophi statuunt. Sed hæc alibi ampliùs discutienda erunt.*

21. Dices III. Deus filius *in tempore est incarnatus, & incepit esse id, quod antea non fuit, nempe homo. Ergò verè mutatus est. Nam qui acquirit quod antea non habuit, vel incipit fieri, quod non erat, verè mutatur.* R. 1. Qui *acquirit aliquid, vel incipit fieri, quod antea nullo modo & ratione habuit vel fuit, nisi in merâ potentiâ passivâ simpliciter, is propriè mutatur, per* th. 15. *Est enim mutatio Entis in potentiâ simpliciter: At Deus ante incarnationem non ita se habuit. Habuit enim hominem, i. e. rem & perfectionem naturæ humanæ* virtualiter eminenter, *i. e. in eminentissimâ vi, quâ posset & humanitatem quovis momento producere, & etiam sine illâ facere, quidquid illa perfectionis præstare posset. Ita quod antea habuit Deus eminenter, postea assumpsit formaliter, & ita verè non mutatus fuit.* 2. Si contendas, *& tùm rem dici mutari, cum, quod ante habuit virtute, postea acquirat actu & formalitate: ne sic quidem Deus verè mutatus est. Nam mutatio talis tùm fit, cum ita acquirit posterius, ut desinat esse prius. Sic v. g. mutatur aqua, cùm fit calida, & desinit esse frigida; cum fit vinum, & desinit esse aqua: Doctus, cùm fit eruditus, & desinit esse rudis. Idemq; est in cæteris veræ mutationis speciebus. At sic iterum non est in Deo.* Deus enim non desinit esse persona divina, & fit persona humana: *Sed* manens quod est, *de nostrâ fide in suam personalitatem humanam naturam assumit. Non fit Deus homo abolito subjecto, quod recipit esse humanum: Sed*

assu-

assumendo humanitatem ad esse personæ præëxistentis & permanentis. Non fit Deus homo; desinendo quod erat: Sed assumendo, quod non erat. Non conversione divinitatis in humanitatem, sed assumptione humanitatis in divinitatem, ut loquitur Symbolum Athanasij. *Elegans est locus* Augustini c. 2. d. dogm: Eccl: ap. Lombard. 3. sent. d. 7. lit. n. Deus hominem assumpsit, *homo in Deum transivit,* non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione. *Vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem: nec homo in divinam, glorificatus in Deum: quia mutatio vel versibilitas naturæ diminutionem & abolitionem substantiæ facit.*

22. 3. Si ultrà contendas, *Verbum habere se longè aliter ad carnem post incarnationem, quàm ante eam, terminando nempe illam hypostaticè, atq; intimè ut partem totius sustentando, quod non fecit antea, E. reverâ & in se mutatum esse.* Resp: modum habendi se *qualitercunq; ad aliam rem non verè mutare rem, nisi rem intrinsecè attingat, & ita attingendo eam variet & immutet.* V. t: 15. *Sic homo non verè mutatur, si aliâ veste induatur. Sic Deus non mutatur, si in tempore concurrat cum creaturis, cum quibus non concurrit ab æterno, quia concursus iste non est ab intra in Dei essentiam receptivus, sed ab extra ad objecta extrinsecùs existentia diffusivus & extensivus. Sic subsistentia assumpsit humanitatem, non unione essentiali, ut humanitas facta sit pars essentiæ divinæ, & essentia divina facta fuerit composita: sed assumptione personali, ut totum istud personale, Christus, jam ex divinitate & humanitate consistat. Est unio arctissima, intima, indistans, per circumincessionem totalem facta: interim non essentialis: & consequenter, additio humanitatis, quia non ad essentiam internã* λόγȣ *facta, sed unitionem personæ & subsistentiæ, verè non mutavit* λόγον, *quicquid sit de mo-*

do habendi diverso, qui non statim mutationem infert. Sic columna mihi fit dextra, sinistra, non mutat columnam, sed ambulantē ad eam. V.t. 10. *Sic Petrus sedens mihi fit dexter, sinister, superior, inferior, anterior, posterior: nihil in Petro mutat, sed ambulante ad ipsum sursum, deorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm, antrorsùm, retrorsùm: Sic, subsistentia facta est assumens carnem,* in carne facta est mutatio, quia illa modum aliquem intrinsecum sortita est, *quem antea non habuit,* suppositalitatem in DEO verbo: *in subsistentiâ non, illa enim retinuit quod habuit: & quod habuit, ad aliud externum extendendo velut & in sese recipiendo, determinavit. Quæ determinatio sine verâ & reali mutatione esse potest. Vide* th. 24. *Sic* anima *accedens corpori & intimè se ei uniens, non mutatur: sed ipsa corpus, cui accedit, mutat, eiq́; vitam, sensum, motum, novasq́; qualitates superinducit. Anima accedit* ut perficiens, *corpus ut* perficiendū: *hoc mutatur, non illa: sic subsistentia accedit* ut perficiens, *humanitas* ut perficienda. *Hæc mutatur, non illa.*

23. Dices IV. Dantur multa *diversa decreta liberæ voluntatis in DEO, quæ ita sunt in eo, ut possint non esse. Hoc enim de ratione act⁹ liberi est, posse esse & non esse. Sic decretum creandi, eligendi, mundum redimendi, concurrendi, permittendi peccatum. Sæpè sunt contraria & de contrarijs rebus, ut decretum eligendi & reprobandi, salvandi & damnandi, evehendi & deprimendi, eripiendi & deserendi. Sæpè desinunt & incipiunt. Sic erat in Deo decretum extirpandi Judæos,* Exod. 32. v. 10. *sed postea desinebat.* V. 14. *Decrevit olim Iudæos ex Ægypto liberare, in captivitatem Babylon: detrudere, inde eruere, mundum per Christum redimere, mundum creare. Quæ omnia hodie desinunt, nam jam sunt actu producta. E. multa diversa sunt in Deo ab essentiâ divinâ, quibus ille variè immutari potest.* R. Decre-

ta Dei

ta Dei *spectantur* tripliciter. 1. Ab intra, *ut notant principium decernens: Hoc est ipsa essentia divina per modum actus vitalis decernentis significata, ut de creatione dictum t. 18. Sic decretum Dei est Deus decernens, ut voluntas Dei est Deus volens, & intellectus Dei Deus intelligens. Sic decreta sunt necessaria, ut ipsa essentia: unica, sed quæ ob infinitatem essentiæ, cui æquipollent, multis actibus creatis æquivalere possunt, sunt enim infinita. At repugnat infinitum plus uno esse. Ita ergò decreta Dei, quæ nobis ad extra spectata videtur multiplicia & varia esse, non sunt ab intra in DEo multi & diversi actus, ut uno velut decernat creare mundum, altero redimere, tertio reprobare, prout in humanis actibus imperfectè se habentibus res est: sed unus & simplicissimus actus, qui quia infinitus, distincta objecta & contraria uno obtutu sibi sistere potest, ut & eligat & reprobet: & mundum creare & recreare & destruere statuat: & Iudæos in captivitatem Babylonicam detrudere, & inde eripere concludat, &c. Sic essentia divina, quia infinita, potest multas hypostases citra multiplicationem sui terminare: Et scientia Dei, quia infinita, potest uno simplici intuitu cognoscere & homines & bruta: & spiritualia & corporalia: & æterna & temporaria: nullis diuersis actibus ad ea opus habet. Sic visus noster potest diversa imò & contraria objecta simùl percipere, ut album nigrum, pulcrum, deforme, magnum, paruum, quiescens, motum, curvum, rectum, nullis diversis actibus ad ea percipienda in se opus habet.*

24. 2. Decreta diu: *spectantur* ad extra *& terminativè, ut ad objecta externa diversa flectuntur & terminantur. Hæc flexio in Deo est actus liberæ voluntatis: & potest actus aliquis in se necessarius liberè se flectere ad hoc vel illud, assumendum vel reprobandum. Sic angelus necessariò intelligendi actum habet. Vt hoc vel illud intelligat, recipiendo ut verum:*

vel

vel reprobando, ut falsum, ex liberâ voluntate habet. Hæc determinatio nullam mutationem infert, sed respectum ad terminũ q: extrà coëxistentem, objectivè repræsentatum. Per eandem analogiam, per quam de creatione dictum, th. 15. *Non n. differt realiter â suo fundamento, in quo fundatur, cognitione divinâ, sed ut modus quidam superadditus. Hic modus & determinatio potest ratione objectorum, in quæ fertur, diversa, multiplex, varia, adversa etiam esse: potest incipere & desinere, nullâ vel verâ mutatione ipsi essentiæ vel actui internè spectato illatâ: vel ipsâ essentiâ aut actu internè spectato multiplicato. Est n. hæc determinatio extrà in objectis hoc modo terminata, & in illis mutationẽ inferre potest, non in DEo. Sic* sol uno *simplici actu, calefaciendo, & diversa & adversa effecta edere potest, ut mollire ceram, & durare lutum: resolvere butyrum & constringere lutum; incrassare & subtiliare, calefacere aquam frigidam, & frigefacere calidã. Dicitur n. calida soli exposita citiùs frigefieri, quàm in umbrâ.* V. Aristotel: s. 24. probl. q. 13. *nullâ vel varietate actus in sole spectati admissâ, vel mutatione soli illatâ. Sic sol in se non mutatur, si radios flectat vel determinet spargendo in pagum aut urbem de novo extructum, etsi in pago aut urbe sit mutatio. Ita decretum Dei potest extrà se aliquò liberè flectere, in objecto mutatione positâ, non in Deo. Sic concursus Dei extendit se ad Petrum, nato Petro: mortuo eo desinit iste concursus. Nulla hinc mutatio in DEO, sed in Petro, qui vel natus, vel denatus intelligitur. Sic scientia Dei terminata fuit ad nativitatem Christi, tanquam futuram pro tali tempore, præsentem pro tali, præteritam pro tali. Scientia Dei mansit immota & immutabilis: Nativitas Christi per varietates temporum mutata fuit. Eodem modo hodiè ad eam terminatur, citra sui veram mutationem. Idem de terminatione decretorũ Dei ad diversa objecta ad extra habendũ.*

Si omninò hic mutatio videatur, rationis est, non rei: ex diversâ terminatione ad varia objecta orta, non consilij divini internâ variabilitate.

25. *Regerit* Vorstius *ad exemplum solis adductum,* Sch. alex. Lubb. §. 20. p. 65. *solis actum esse* naturalem, *decreta Dei voluntaria. Actum generalem & remotum solis esse unum, speciales & propinquos multos. Esse actus transeuntes à Sole in objecta, qui de nostrâ mente sint in patientibus, non agentibus.* V. t. 17. *ac proinde pro diversitate effectorum diversi. Decreta Dei esse actus immanentes. Sed hæc parum incommodant.* 1. Si actus *naturalis & materialis in se unus potest diversa & contraria edere in diversis objectis, nullâ sui admißâ mutatione, magis id poterit voluntarius, qui & spiritualis est, & magis varius in agendo, & ad magis varia objecta se extendit, cum naturalia magis ad unum sint determinata. Maximè ergò id poterit actus voluntatis divinæ, ut essentiæ simplicissimæ, perfectissimæ, & infinitæ, ut unitate sui multis distinctis effectibus satisfacere queat.* 2. Sint actus *speciales Solis varij: sed illi oriuntur ex diversitate objectorum, in quæ diriguntur: in ipso sole sunt unus & simplex actus, sed qui virtutem plures & diversos producendi pro diversitate objectorum in se habet. Ita & actus decernendi in Deo est unus & simplicissimus: sed qui ob* infinitatem potentiæ & essentiæ virtualiter eminenter plures & diversos continet, quos in diversis objectis producat, *ad quos plures particulares actus, & agendi virtutes in rebus finitis requirerentur. Vt ergò Sol in se non mutatur, etiamsi contraria producat, ut mollire, durare; liquare, constringere, extendere, contrahere: Ita actus decreti divini est in se immutabilis, etsi extendendo ad diversa objecta eligat, reprobet, evehat, evertat: attollat, deijciat, &c. Nam* hi actus spectantur cum applicatione ad objecta, *in quibus terminantur.*

Et ſic mutationem ipſi actui in ſe & DEO ſpectato inferre non poſſunt. Sic e. g. ſi quis è ſublimi uno intuitu ſpectet quosdam montem aſcendentes, quosdam deſcendentes, quosdam rectos, alios curuos incedentes, in ipſo actu videndi *nulla variatio aut contrarietas eſt, ſed in contrarijs motibus ambulantium. Simile quid de actu decernendi in Deo cogitandum.* 3. Sint actus *Solis, induratio, liquefactio, &c. tranſeuntes, & in patientibus recepti: nil prohibet, in certo tertio à tranſeuntibus ad immanentes arguere,* ex hypotheſi *inprimis* adverſarij, *cum quo agas, qui vrgeat, etiam actiones tranſeuntes eſſe in agentibus, tanquam actiones, quod urget* Vorſtius, V. t. 17. *qui & maximè hoc argumentum de decretis Dei urget.* V. t. 12. *Ergò ut actus tranſiens in agente unus eſſe poteſt, ut tamen in patientibus ſint varij, imò contrarij effectus, ut in ſole patet: ſic actus immanens unus eſſe poteſt, quà ad intra ſpectatur: ut in extenſione & determinatione ad objecta, circa quæ verſatur, magnas varietates admittat. Idem ergò circa decreta divina ad extra extenſivè velut ſpectata contingere nihil miri eſt. Magis, quòd actus decernendi in DEO ſit infinitus, & entis ſimplicisſimi, qui multis effectibus eſſentiæ infinitate par eſſe poteſt: Solus actus in objecta finitus, & corporis ex materiâ & formâ compoſiti.*

26. 3. Decreta *divina ſpectantur* objectivè *& velut* concretè, *prout notant ipſas res decretas. Ita varia, multiplicia, contraria, eſſe posſunt, ſed fundantur in creaturis, in quibus hoc modo terminantur. Nec ita præcisè ſunt* accidentia, *ut* Vorſtius *cum* Photiniauis *contendit, nam plurimæ res creatæ ſunt ſubſtantiæ. Ita mutari posſunt, incipere, deſinere, ſed ſunt in creaturis, in quibus mutationem dicent: non in Deo, ad quem hac ratione ſumptæ non terminantur. Simile hic eſt in voce* creationis, *quæ ſumitur* & activè *pro actu creandi,* & paſſivè, *pro re creatâ, ut communiter do-*

cent

cent Theologi. Idem de voce decretum, s. decretio, habendum, quæ & activè & passivè sumi potest. Illo *modo est immutabilis & simplex actus:* hoc *variabilis, multiplex, & unus alteri succedens: sed imperfectio tùm est in creaturâ, quæ est res decreta.*

27. Dices V. Deus *ex non agente factus est in tempore agens. At agentem esse est vera res, Actio n. est vera res, s. jam sit substantia Dei, sive accidens. Sed accedente re novâ ad aliquem, mutatur iste, cui res accedit. E. & Deus accedente ad eum creatione. R.* Accedente *re novâ ad rem* & internè recepta in ipsam rem, *cui accedit, verè mutatur res ista. Sic paries albus factus mutatur, quia albedo recipitur in ipsum: homo doctus factus mutatur, quia doctrina recipitur in ipsum hominem. At accedente re novâ, sed quæ in alio subjecto terminetur, non mutatur ista res, cui accedere dicitur. Sic ignis non mutatur, si ei accedat nova aqua, quam calefaciat; Quia calefactio recipitur in aquâ, quæ mutatur, non igni, à quo funditur in aliud subjectum. Sic & creatio est actio transiens, à Deo in creaturâ terminata, in quâ est mutatio, nam in hac actio creativa recipitur, non in Deo.* V. t. 16. Dices VI. Quæ *separari possunt, differunt realiter. Deum & creatorem esse separari possunt. Nã Deus ab æterno fuit Deus: creator cœpit esse in tempore. E. differunt realiter. At quæ differunt realiter, differunt ut res & res. E. & creatio differt ut vera res à Deo, ut verâ re. Et sic vera res illi accessit in tempore, quæ non fuit in ipso ab æterno, & consequenter mutatus fuit.* R. 1. Nego *antecedens. Calor & gradus caloris ut 6. vel 7. separari possunt, nec tamen differunt realiter, sed modaliter saltem. Non n. gradus caloris est nova res à calore, sed eadem ipsa res, quæ calor est: tantùm diversum modum dicit. Sic albedo & gradus intensus albedinis, frigus & gradus excellens frigoris separari possunt, & tamen non differunt, ut res*

& res, sed ut res & rei modus. 2. *Etiamsi actio sit nova res Deo in tempore illata, non tamen verè mutavit Deum, quia non recipitur intra illum, ut ad praecedentem objectionem est ostensum.*

28. Dices VII. Deus *in tempore cæpit fieri omnipræsens, cum non fuerit ab æterno. Est enim omnipræsentia attributum relativum, creaturas inferens, quibus præsens sit. Et sic accessit ei in tempore novum attributum, quod non fuit in eo ab æterno. E. mutatus est.* R. Omnipræsentia *rigidè loquendo non est attributum Dei, omnia n. attributa Dei ab æterno in æternum sunt & manent, cum præsentia cæperit aliquando in Deo esse, & destructis omnibus creaturis, quib⁹ Deus præsens dicitur, iterum desitura sit esse: & attributa sunt immutabilia, gradus non habentia; præsentia DEI & mutatur interdum, & gradus admittit. Con.* D. Gerh. ex. d. Deo §. 181. D. Mentz. c. Sadeel. d. com. idio. p. 58. T. 7. Gies. d. 24. t. 118. 119. *Sed* modus aliquis *in attributo aliquo divino, immensitate vel infinitate fundatus,* relationem propinquitatis substantiæ & operationem potentiæ *ad res creatas dicens, in quibus terminatur. At relationes in extraneis objectis terminatæ possunt de novo rei accidere, citra veram mutationē. Modi n. & respectus non semper mutant, sed determinant.* V. t. 15. *Sic ignis in se non mutatur, si appositis alijs & alijs ollis calorē in aquam incipiat fundere, in quam antea cum non fundebat, sed in aquâ est mutatio. Sic sol non mutatur, si radios mittat in Constantinopolin aut Romam de novo extructam: sed nova velut ad objecta de novo facta extensio, relatio & denominatio soli adijcitur, citra realem in eo mutationē.* V. t. 24. *Idem de Dei omnipræsentiâ ad creata habendum. Est nova velut ad objecta de novo facta divinæ essentiæ extensio & approximatio, quæ in Deo citra mutationem est, in creatis mutationem factam esse præsupponit. Cætera in discursu.*